



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Conversatione Apostolica - A Curatoribus Animarum piè & fructuosè instituenda ; Complectens varios & solidos modos juvandi & consolandi diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè aegras & captivas ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49274)



## PROOEMIUM.

**G**ratia conversandi cum Proximo est singulare quoddam donum gratis datum, & à concionandi talento multum distinctum, quo per privata colloquia spiritualia Homines ad DEVM reducuntur; estque hoc donum merito permagni semper aestimatum ab Apostolicis viris, utpote quod multas ob causas paulò post infra referendas majorem longè, quàm ipsæ etiam Conciones utilitatem ac efficaciam affert ad animas DEO lucrandas, uti exemplo suo præclare Zelosissimus & laudatissimus Societatis nostræ Operarius P. Petrus Faber confirmavit, de quo sic loquitur Nicolaus Orlandinus l. 9. Hist. Soc. Dicebat interdum ad Populum, sed in congressu, familiarique colloquio vis major. In hoc ille ponebat omnia, in hoc hærebat, & habitabat. Hinc, ut idem Author l. 3. n. 29. testatur, nullas prætermittebat occasiones serendæ pietatis. Indagabat vias omnes omnibus consulendi, & quocumque ingrediebatur, omnem sermonis occasionem intentâ mente captabat: quin intempestivæ se nonnunquam taciturnitatis accusans, cujus vitio plurima saltem bona fieri desinerent, quæ facta ab Homnibus salutem parerent, statuit in posterum accuratius interiori parere voci, & monentem spiritum exaudire, nunquam ut verbo parceret, sed in omni congressu atque convictu curaret, quæ singulis diceret, & quemadmodum unumquemque moneret, ut, quisquis se ei jungeret, quasi è salis tactu æterna vitæ sapore condiretur. Bellissimum quippe dicebat esse, & omnibus curam alienæ salutis gerentibus proprium, relinquere in omnibus donum.

unibus.

PROOEMIUM.

mibus, quò divertunt, vestigium aliquod sanctitatis. Ubique colligendum, cum debitores sint omnibus, & ubique eos spectet. DEVS, cuius ipsi Famuli atque Administratores existunt.

Unde meritò ad hanc artem addiscendam totis viribus incumbere debent omnes ij, qui & ipsi aliquando curam Animarum suscipere decreverunt. Quia verò Ars ista ob multa, quæ in ea exercenda plerumque intervenire solent, impedimenta & pericula per se satis difficilis est, atque adeò non nisi longâ experienciâ, aut certè præceptis per similem experienciam haustis addisci potest, operæ pretium futurum visum est, si, quæ zelosissimi quique, expertissimiq; Animarum Curatores eum in finem nobis tradiderunt, præcepta in breve compendium redigerem, id quod præsentì libello efficere conabor, quem proinde in duas partes dividam, & priorè quidem, quid ad Apostolicam Conversationem in communi requiratur, explicabo; in posteriore verò, quid circa varias Conversationes cum particularibus Personis ritè ac fructuosè instituendas observandum sit, paulò fusiùs demonstrabo. Faxit DEUS, ut sicut labor hic ad DEI majorem gloriam, Animarumque salutem unicè dirigitur, ita doctrinæ in libello hoc contentæ ab Animarum Curatoribus non modo benevolè suscipiantur, sed studiosè etiam ad eundem finem efficacius, copiosiusque consequendum practicentur.



PARS